



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De infirmo, cui abluito conuersa est in sanguinem, cap. 24.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

Mirac-  
la de ab-  
lutione  
celebran-  
tis.

**S**acerdos quidam, sicut mihi alius quidam reli-  
giosus sacerdos retulit, infirmum aliquando visi-  
tauit: erat idem infirmus laicus admodum reli-  
giosus, qui ait sacerdoti: Domine mi, hodie celebra-  
stis? respondente illo; Etiam, Egrotus subjunxit: Peto  
ut manus, quibus tractastis sacrum Christi corpus &  
sanguinem, coram me abluatis, eritque mea infirmi-  
tati eadem ablutio antidotum. Quod cum fecisset,  
aqua in cratera munda recepta est, de qua cum bibisset  
infirmus, residuam in cistâ reponi iussit, & diligenter  
operiri. Postea cum eandem aquam requireret, puer  
ad cistam accedens, non aquam in cratera, sed purum  
sanguinem reperit; quo illato, pro sacerdote mis-  
sum est, à quo in ecclesiam deportatus, inter reli-  
quias positus est. **A P O L L O N I V S**: Quid sentis de  
sanguine isto? **C Æ S A R I V S**: Non credo fuisse Chri-  
sti sanguinem, quia aqua in illum minimè vertitur,  
nec vinum quidem absque debita sacerdotis benedi-  
ctione: Deus verò ob deuotionem hominis, elementum  
mutauit, ut ostenderet quòd eundem sanguinem, quem  
continuè sumit in ecclesia sacramentaliter, fidelis  
quisque in omni loco possit sumere spiritualiter.

## CAPVT XXV.

**Q**uædam nobilis femina de Entenich, sicut à  
quodam edocta fuerat, tertiam ablutionem  
ex digitis sacerdotis in pane recepit, credens,  
si eandem per quatuor partes agri sui reponderet, &  
nulla aëris intemperies, vel grando segetes læderet,  
panem interim in scrinio suo reponens. Dum tempore  
oportuno accederet, quatenus eum per agrum suum  
diuideret, in sanguinem coagulum eum vidit conuer-  
sum: territa nimis, marito eum ostēdit atque sacerdoti.  
Pro qua re omnes à prioribus Colonensibus citati,  
sacerdos satis punitus est; illis vix se excusantibus, &  
nullum foret in causa maleficiū. Nō enim placet Deo,  
si ad aliquos vsus temporales sacramenta illa conuert-  
tantur. **A P O L L O N I V S**: Placet quòd dicis. Nunc peto,  
ut exēpla proferas de dignè cōficiētib. **C Æ S A R I V S**:

Prius